
L. Festo

[STOERGLER, P.]



Sancta Maria
Sancta Maria
ASMA POETICVM
LITANIARV̄ LAVRETANARVM
dedicatum
R.mo Hilariensiu Praesuli
D.D. Georgio
S.C.M. Consiliario
deputato. cuius et liberalitate editum est
Anno Christi M.DCXXXVI.






DIGNARE ME LAVDARE TE, VIRGO SACRATA.

Ite leues uersus, et, turba profana, Pöetæ,
Qui labra Pierijs uestra rigatis aquis.
Lacte pluit Mater, Natus mihi sanguine: quisquis
Ex hoc fonte bibit, I. carmina sacra canit.



KYRIE ELEISON.

Qui sibi cantando Dominæ placauerit iram,
Huic etiam Dominus non metuendus erit.



CHRISTE ELEISON.

Flectere qui Natum vult, Matrem flectere discat:
Quod faciet, si se flectat et ipse prius.



KYRIE ELEISON.

Ciuis in urbe canat te, Virgo, colonus in aruis;
Mox, miserante Deo, desinet esse miser.



CHRISTE AVDI NOS.

Audiri à Christo si uis, clamare memento
Ad Matrem Christi. non sedet ille procul.



CHRISTE EXAVDI NOS.

Bella regente Deo, facilis victoria: qui te,
Virgo, colit, pugnat bella regente Deo.



PATER DE COELIS DEVS, MISERERE NOBIS.


Vbera si Soboli Mater, si uulnera Patri
Exhibeat Soboles; à Patre tutus ero.



FILI REDEMTOR MVNDI DEVS, MISERERE NOBIS.

Sæpius his telis ingratum perderet orbem;
Sed Matrem quoties aspicit, ira cadit.

8.



SPIRITVS SANCTE DEVS, MISERERE NOBIS.

Hinc Pater, hinc Natus dum fata extrema minatur,
Ah quid desperas? tertia Spes superest.



SANCTA TRINITAS VNVS DEVS MISERERE NOBIS.

Vnum nemo Deum trinumq́ ardentiùs orat,
Quàm qui etiam sancto Virginis igne calet.



S. MARIA O.P.N.

Angelus in puppi stabit, clauumq; tenebit,
Numinis, in prora, si tibi Mater erit.



S. DEI GENITRIX O.P.N.

Mors erat Astyagi uitis de pectore nata;
Et Vitem, et Vitam, tu tibi, Virgo, paris.



S. VIRGO VIRGINVM O. P. N.

Vniq; in quinis hic Virginis ora puellis;
Aut magè in uniq; cernere quinq; licet.



MATER CHRISTI. O.P.N.

Et Christum, et Christi fert ista tabella Parentem:
Angusta augusta est facta tabella mihi.



MATER DIVINÆ GRATIÆ O. P. N.

Et nuda, et sicca est fallacis gratia Mundi:
Quæ fluit è coelo gratia, plena fluit.



MATER PVRISSIMA O.P.N.

Purior eſſe cupit Matrum purissima [illegible]tus.
Cur ego adoptiuus sordidus esse velim?



MATER CASTISSIMA O.P.N

Arsit ab ætherÿs Mater castissima flamis:
Inuenit nullum noxia flama locum.



MATER INVIOLATA O. P. N.

Nascitur in septis, secretus flosculus, hortis;
In custodita uirginitate, Deus.



MATER INTEMERATA O.P.N.

Tu quoq; post abitum Christi, petis astra, Virgo?
In terris totum nunc erit exilium.



MATER AMABILIS O. P. N.

Suscipe, Nate, tuam, complexu suscipe Matrem;
Proq; sinu, simili gaudeat illa sinu.



MATER ADMIRABILIS. O.P.N.

Mirandam miranda parens mirata Parentem est;

Cum Virgo hinc, sterilis Mater et inde stetit.



MATER CREATORIS O. P. N.

Quod creat, et regit hic; recreat, tegit illa; premitq;
Diuina quidquid noluit arte regi.



MATER SALVATORIS. O. P. N.

Χαῖρε alys corui dicant; tibi, candida Mater,
Suauius è coelo detulit Ales AVE:



VIRGO PRVDENTISSIMA O. P. N.

Seu Malo Morus; seu iuncta sit Eua, Maria:
Hoc sapit ista magis; quò sapit illa minus.



VIRGO VENERANDA O. P. N.

Poplite lunato tibi cedunt omnia: quid ni?
Subdit se pedibus Luna uel ipsa tuis.



VIRGO PRÆDICANDA O.P.N.

Inde Maria, reor, celebraris utrumq; per Orbem:
Unde tuos partus, Orbis uterq; colit.

26.



VIRGO POTENS O.P.N.

Omnia cum possis per Natum, Mater, id unum
Quod nequeas fas est dicere, posse nihil.


27.



VIRGO CLEMENS. O·P·N·

Visitur hic gemini custos Clementia regni;
Vna ubi Virgo Polum sustinet, una Solum.

28



VIRGO FIDELIS. O. P. N.

Nusquam tuta fides Pontumq́ Solumq́ legenti:
Astra legas, astris omnia tuta uides.



SPECVLVM IVSTITIÆ. O.P.N.

Hinc Cælum inde solum, Speculo trutinatur in uno:
Horū utro grauior sit tua libra, uide.



SEDES SAPIENTIÆ O.P.N.

Cernis, ubi propriam figat Sapientia sedem?
Hanc cole. desipere est, uelle sine hac sapere.




CAVSA NOSTRÆ LÆTITIÆ O. P. N.


Plaudere iure potes, plausus dum caussa Maria est;
Plangere dum planctus caussa tibi Eua fuit.



VAS SPIRITVALE O.P.N.

Bernardũ cerno calicem, uas cerno Mariam:
Ni calices essent, essem ego et ipse calix.





VAS HONORABILE O. P. N.

Hic intacta suum sustentat Cynthia solem:


A cælo ne erres, hoc cole, Persa, iubar.



VAS INSIGNE DEVOTIONIS O. P. N.

Cum pluuias coelum demittit, tecta subimus:
Quærenda hac pluuia est, non fugienda mihi.

35.



ROSA MYSTICA O. P. N

Mystica iure ſuo Roſa dicitur: omnia coeli
Arcana in Christi terra parente colit.



TVRRIS DAVIDICA O.P.N.

Si bene tanguntur celsis è turribus hostes,
Ah nihil hac turri celsius astra uident.



TVRRIS EBVRNEA O. P. N.

Aspice, si nescis, quid Turris eburnea possit;
Hac tibi Tartareus uincitur arte Draco.



DOMVS AVREA O.P.N.

Aurea nunc sileant Salomonis templa: Tonantis
Et melius fulta est, et magis alta Domus.



FÆDERIS ARCA O.P.N.

Foedus in hac Arca est hominis cum Numine: quando
Arca tot, et tantas unica clausit opes?



IANVA CÆLI O.P.N.

Quisquis in Empyreos optas penetrare penates,
Hæc subeunda tibi Porta salutis erit.



STELLA MATVTINA. O.P.N.

Hic tibi nocturnis oritur Vicinus ab umbris
Si Titan, Virgo, Phosphorus esse potes.



SALVS INFIRMORVM O.P.N.

Quos ars desperat, sanas: sic porrigit herbam
Ægrotis medicus, mors superata tibi.



REFVGIVM PECCATORVM O.P.N.

Nulla suos adeò pullos gallina tuetur;
Tu modò gallinæ filius esse velis.



CONSOLATRIX AFFLICTORVM. O.P.N.

Plebs tua, Virgo, gemit; mæstam solabere: luctus,
Te fugiente, uenit; te ueniente fugit.



AUXILIUM CHRISTIANORUM O.P.N.

I Bellona procul, procul i, Gradiue; Trophæa
Maxima Virgineâ sunt statuenda manu.



REGINA ANGELORVM O.P.N.

Angelus in cælis Mariam non rarus honorat:
Angelus iñ terris tute, Sodalis, eris.



REGINA PATRIARCHARVM O.P.N.

Stemmate nobilitas prisco descendit auorum:
Virgo hæc ipsa suos nobilitauit auos.



REGINA PROPHETARVM O.P.N.

Cum canerent Christi Marianaq; sceptra Prophetæ.
Monstrarunt, quid sit Numine digna loqui.



REGINA APOSTOLORVM O.P.N.

Lucida siderei quod gloria Phoebꝰ olympi;
Id noua zodiaci lucida virgo, noui.



REGINA MARTYRVM O.P.N.

Virgo simul Martyrq́ fuit; quid passa sit, audi:
Omnia quæ Natum uidit in orbe pati.

S t.



REGINA CONFESSORVM O.P.N.

Olim Ancilla fuit, nunc est Regina: quid optas,
Rex fieri? seruus noueris esse prius.



REGINA VIRGINVM O. P. N.

Virginitas alios solet exornare: sed ipsa
A Matre ornatur Virgine uirginitas.



REGINA SS. OMNIVM O.P.N.

Et Cælo, et Terris, Pelago dominaris et Orco,
Virgo; quis hoc unum crederet Imperium?



AGNVS DEI QVI TOLLIS PECCATA MVNDI, PARCE NOBIS DOMINE.

En tibi mansueto, quid non imponitur Agno!
Nullus onus tantum sustinuisset Atlas.



AGNVS DEI, QVI TOLLIS PECCATA MV̄DI EXAVDI NOS DOMINE.

Sæpe lupus lacerare lupum solet: Agnus ab Agno
Non, nisi cum tremerent Tartara, ſumtus erat.



AGNVS DEI QVI TOLLIS PECCATA MVNDI MISERERE NOBIS,

Cedite Castaliæ, cum fontibus omnibus, undæ;

Plus noster uestro prolicit Agnus Equo.

BFF